

22 tert. qua dempta de præinuenta æquatione, pro ut titulus admonet differentialis remanebit æquatio æquata 1 gra. 59 minu. 28 secund. ferè, quæ si finaliter medio Solis motui præfato fuerit adiecta, uerum locum Solis ostendit in zodiaco 0 sig. 24. gra. 27 minu. 45 secund. ad tempus propositum, diebus tamen non æquatis.

## De uero motu Lunæ.

## Propositio. XI.

Punctum zodiaci certum sub quo Luna directe quolibet tempore constituatur perscrutare.

**I**nquirantur per primam, medijs motus Lunæ pro assignato tempore, atq; eius argumentum medium. Similiter & centrum ipsius per 5 ad idem tempus, illis etenim mediantibus, locus uerus Lunæ inuestigatur, ut autem progressus noster distinctior habeatur. Scias te per centrum Lunæ duo quærere debere, æquationem scilicet centri, & minuta proportionalia. Totidemq; per argumentum, uidelicet argumenti æquationem & diuersitatem diametri circuli breuis. Nec illud te lateat generale, ut quicquid de tabula æquationum fuerit extractum, per partem proportionalem semper fore equandum, nisi differentia esset nulla, aut denominationes omnes post gradus ipsos de numero in tabulam mittendarum minutiarum uacarent, tunc namq; pars proportionalis penitus frustra attemptaretur. Quicquid enim angulus communis tali introitu facto monstraret, cum actu æquatum sit, ulteriori æquatione non egeret. Scribe ergo unum quodq; præinuentum seorsum & serua ad partem. Quo facto, cum centro Lunæ medio tabulam æquationum Lunæ ingredi, signa quærendo in capite, uel calcule. Gradus uero in lineis numeri, & accipe quod in directo eius inueneris de æquatione centri, & circa ipsam, titulorum denominationem scilicet adde, uel minue scriptam considera. Similiter differentiam eiusdem cum sua nota A, uel M, recipe scribeq; sub prius extractis, debito ordine ita, uidelicet, quod singulæ eiusdem denominationis & ordinis minutiarum se inuicem respiciant. Accipe etiam ibidem, ubi cum centro Lunæ intrasti, minuta proportionalia, quæ serua ad partem una cum eorum differentia literaq; titulorum scilicet A uel M. A quidem additionem, M uero subtractionem importat. Si quid igitur utrorumq; illorum circa differentiam inueneris, quæras partem proportionalem, & fac cum ea æquationem centri æquatam, atq; minuta proportionalia, per eandem uerifica, ut explicatur in multiplicatione. Deinde æquationem centri, ut præfertur æquatam, iuxta monitionem tituli adde uel subtrahe medio argumento Lunæ, & emergit argumentum uerum uel æquatum. Minuta autem proportionalia æquata serua ad partem. Mitte demum signa & gradus ueri argumenti Lunæ in tabulam æquationum Lunæ, more consueto, in quorum concursu communi æquationem argumenti repertam cum sua differentia, & titulis accipe subscribasq; argumento eiusdem Lunæ, & sine discessu diuersitas diametri eodem introitu inuenta extrahatur, haud absq; differentia propria, tituloq; differentiali quam subscribas, minutis proportionalibus prius ad partem custoditis. Fac deinceps æquationem utriusq;, tam argumenti quam diuersitatis diametri per numerum proportionalem, non aliter quam in operatione centri, supra negociatus fuisti, & prodibunt ambæ æquatæ, quo facto multiplica minuta proportionalia, præ custodita per totam diuersitatem diametri æquatam productum subscribendo argumenti æquationi æquatæ nuper inuentæ, semperq; simul adde te medio motui Lunæ finaliter adijcias, si titulus æquationis argumenti additionem importauerit, uel ab eo rescindas, dum de numero fuerit decrescentium. Si autem minuta proportionalia præcisæ 60. fuerint, Tunc etenim tota diuersitas diametri

metri